

**S. PETRI DAMIANI S. R. E. CARDINALIS,
DOCTORIS ECCLESIAE,
OPUSCULUM SEPTIMUM.**

**LIBER GOMORRHIANUS,
AD S. LEONEM IX ROM. PONT.**

[PL 145; Paginae 159-190]

ARGUMENTUM.

Nefandum et detestabile crimen, in quod Deo dicati sui temporis [et hodie] prolabebantur, deplorat; eosque utpote indignos a sacris ordinibus removendos esse contendit; Leonemque pontificem Romanum implorat, ut tam foede peccantes sua auctoritate coerceat.

**S. LEONIS IX EPISTOLA,
*Qua hic sancti viri libellus confirmatur.***

LEO episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio PETRO eremitaе, aeternae beatitudinis gaudium.

Ad splendidum nitentis pudicitiae chorum, fili charissime, pio certamine intentionem tuae mentis pervenisse, libellus, quem contra quadrimodam carnalis contagionis pollutionem, honesto quidem stylo, sed honestiori ratione edidisti, manifestis documentis commendat. Subegisti siquidem carnis barbariem, qui sic

erexisti brachium spiritus adversus libidinis obscoenitatem. Exsecrabile quidem vitium, longeque segregans ab auctore virtutum, qui cum sit mundus, nihil admitit immundum; nec de sorte ejus esse poterit, qui sordidis illecebris subjacebit. Clerici vero, de quorum vita spurcissima flebiliter pariterque rationabiliter tua prudentia disputavit, vere, et omnino vere ad funiculum haereditatis ejus non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oblectationibus submovent; qui si pudice conversarentur, non solum templum Dei sanctum, sed ipsum etiam sanctuarium dicerentur: in quo niveo candore conspicuus ille Dei Agnus immolatur, per quem foeda totius orbis lues lavatur. Tales nimirum clerici etsi non verborum, tamen operum testimonio profitentur, quia non existunt, quod censentur. Quo enim modo clericus possit esse, vel nominari, qui proprio arbitrio non metuit se inquinare [«inquinari manibus vel suis vel alienis virilia sua vel aliena contrectans, aut inter femora vel in terga execrabili irrationabilitate fornicans» non habetur in PL]? De qualibus, quia sancto furore permotus, quae tibi videbantur scripseras; oportet, sicut desideras, apostolicam nostram interponamus auctoritatem, quatenus scrupulosam legentibus auferamus dubietatem; et constet omnibus certum nostro judicio placuisse quaecunque continet ipse libellus diabolico igni velut aqua oppositus. Igitur ne coenosae libidinis impunita licentia pervagetur, necesse est apostolicae severitatis congrua reprehensione refellatur, et tamen aliquod tentamentum in austeritate ponatur.

Ecce omnes illi, qui quavis quatuor generum quae dicta sunt, foeditate polluuntur, prospecta aequitatis censura, ab omnibus immaculatae Ecclesiae gradibus, tam sacrorum canonum quam nostro judicio depelluntur. Sed nos humanius agentes, eos, qui vel propriis manibus, vel invicem inter se egerunt semen, vel etiam qui inter femora profuderunt, et non longo usu, nec cum pluribus, si

voluptatem refrenaverint, et digna poenitudine probrosa commissa luerint, admitti ad eosdem gradus, in quibus in scelere manentes, non permanentes fuerant, divinae miserationi confisi, volumus, atque etiam iubemus; ablata aliis spe recuperationis sui ordinis, qui vel per longa tempora secum, sive cum aliis vel cum pluribus, brevi licet tempore, quolibet duorum foeditatis genere, quae descripseras maculati: vel, quod est horrendum dictu et auditu, in terga prolapsi sunt. Contra quod nostrum apostolicae sanctionis decretum, si quis ausus fuerit vel iudicare vel latrare, ordinis sui se noverit periculo agere. Qui enim non pungit vitium, sed palpat, cum eo qui vitio moritur, ipse quoque mortis reus merito iudicatur. Sed, o filii charissime, inenarrabiliter gaudeo, quia exemplo tuae conversationis instruis, quidquid oratoria facultate docuisti. Plus est enim opere docere, quam voce. Quapropter auctore Deo palmam obtinebis victoriae, et cum Deo, et Virginis Filio, laetaberis in coelesti mansione tot mercedibus cumulatus, quot ereptis per te a diaboli laqueis fueris constipatus et quodammodo coronatus.

PRAEFATIO

**Beatissimo Papae LEONI, PETRUS ultimus
monachorum servus, debitae venerationis
obsequium.**

Quoniam apostolica sedes omnium Ecclesiarum mater esse ex ipso Veritatis ore cognoscitur, dignum est, ut si quid usquam dubitationis emergerit, quod ad animarum videatur pertinere negotium, ad ipsam, velut ad magistram, et quodammodo fontem coelestis sapientiae recurratur, quatenus ex illo uno capite ecclesiasticae disciplinae lumen prodeat, quo discussis ambiguitatum tenebris, totum corpus Ecclesiae perspicuo veritatis nitore clarescat. Quoddam

autem nefandum et ignominiosum valde vitium in nostris partibus inolevit, cui nisi districtae animadversionis manus quantocius obviet, certum est, quod divini furoris gladius in multorum perniciem immaniter grassaturus impendet. Heu! Pudet dicere, pudet tam turpe flagitium sacris auribus intimare; sed si medicus horret virus plagarum, quis curabit adhibere cauterium? Si is, qui curaturus est, nauseat, quis ad incolumitatis statum pectora aegrota reducat? Vitium igitur contra naturam velut cancer ita serpit, ut sacrorum hominum ordinem attingat; et interdum ut cruenta bestia inter ovile Christi cum tantae libertatis saevit audacia, ut quampluribus multo salubrius fuerit in mundanae militiae jugo deprimi, quam sub religionis obtentu tam libere ferreo juri diabolicae tyrannidis mancipari, praesertim cum aliorum scandalo; cum Veritas dicat: «Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris (Matth. XVIII).» Et nisi quantocius sedis apostolicae vigor occurrat, non est dubium, quin effrenata nequitia cum restringi voluerit, a cursus sui impetu desistere nequeat.

CAPUT PRIMUM.

De diversitate peccantium contra naturam.

Ut autem res vobis tota per ordinem pateat, ex hujus nequitiae scelere quatuor diversitates fiunt. Alii siquidem secum, alii aliorum manibus, alii inter femora, alii denique consummato actu contra naturam delinquent; et in his ita per gradus ascenditur, ut quaeque posteriora praecedentibus graviora judicentur. Major siquidem poenitentia illis imponitur qui cum aliis cadunt, quam iis qui per semetipsos sordescunt; et districtius judicantur qui actum consummant, quam ii qui inter femora coinquantur. Hos itaque corruendi gradus artifex diaboli machinatio

reperit, ut quo altius per eos ascenditur, eo proclivius infelix anima ad gehennalis barathri profunda mergatur.

CAPUT II.

Quod inordinata rectorum pietas lapsos ab ordine non compescat.

Hujus sane perditionis obnoxii saepe largiente divina clementia resipiscunt, atque ad satisfactionem veniunt, et poenitentiae quidem pondus quamlibet grave devote suscipiunt, ecclesiasticum vero ordinem perdere vehementer perhorrescunt. Quidam namque rectores Ecclesiarum circa hoc vitium humaniores forsitan quam expediat, absolute decernunt propter tres illos gradus, qui superius enumerati sunt, neminem a suo ordine debere deponi: hos autem solummodo non abnuunt degradari, quos ultimo actu cecidisse constiterit. Unde fit, ut qui cum octo, vel etiam decem aliis aequae sordidis in hanc nequitiam lapsus esse cognoscitur, nihilominus in suo ordine permanere videatur. Quae procul dubio impia pietas non vulnus amputat, sed ut augeatur, fomitem subministrat; non perpetrati illiciti actus prohibet amaritudinem, sed perpetrandi potius tribuit libertatem. Carnalis quippe cujuslibet ordinis homo magis formidat, et expavescit in conspectu hominum despici, quam in superni Judicis examine condemnari; ac per hoc mavult quamlibet districtae, quamlibet animosae poenitentiae sustinere laborem, quam sui gradus periculo subjacere: et dum per indiscretam discretionem non timet statum sui honoris amittere, incitatur et inexperta praesumere, et in his quae invite praesumpsit, diutius permanere; atque, ut ita dixerim, dum illic non feritur, ubi acrius dolet, in eo, in quo semel corruit, coenosae obscoenitatis volutabro molliter jacet.

CAPUT III.

Quod usibus immunditiae dediti, nec ad ordinem provehi, nec persistere debeant jam promoti.

Sed, ut nobis videtur, valde praeposterum est, ut consuetudinaliter hac purulenta contagione foedati, vel ad ordinem provehi, vel in gradu persistere audeant jam promoti. Quia et rationi contrarium, et canonicis Patrum sanctionibus probatur adversum. Hoc autem non ad hoc assero, ut in majestatis vestrae praesentia definitivae sententiae calculum proferam, sed ut propriae opinionis arbitrium pandam. Hoc nempe flagitium inter caetera crimina non immerito deterrimum creditur; quandoquidem illud omnipotens Deus semper uno modo exosum habuisse legitur, et cum reliquis vitiis necdum per legale praeceptum frena posuerat, jam hoc districtae ultionis animadversione damnabat. Nam, ut taceamus, quod Sodomam et Gomorrham (Gen. XIX), duas videlicet egregias civitates, omnesque finitimas regiones, misso coelitus sulphure et igne subvertit; Onan Judae filium propter hoc nefarium scelus immatura morte percussit, teste Scriptura, quae dicit: «Sciens Onan non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur: et idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret (Gen. XXXVIII, 9-10)». In lege quoque dicitur: «Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operati sunt nefas, morte moriantur; sanguis eorum sit super eos (Levit. XX, 13). »

Quod autem ad ecclesiasticum ordinem promoveri non debeat, qui in illud crimen lapsus est, quod vetus lex praecipit morte damnari, testatur beatus papa Gregorius (lib. X, epist. 13), qui in suis epistolis Passivo episcopo

scribit, dicens : «Bene novit fraternitas vestra, quam longo tempore Aprutium pastoralis sollicitudine sit destitutum: ubi diu quaesivimus, qui ordinari debuisset, et nequaquam potuimus invenire; sed quia Importunus mihi suis in moribus, in psalmodiae studio, in amore orationis valde laudatur, et religiosam vitam agere dicitur; hunc volumus ut fraternitas vestra ad se faciat venire, et de anima sua admoneat, quatenus in bonis studiis crescat: ei si nulla ei crimina, quae per legis sacra regulam morte multata sunt, obviant; tunc ordinandus est, ut vel monachus, vel a vobis subdiaconus fiat; et post aliquantum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastorem curam debeat promoveri.» Ecce hic aperte colligitur, quia quisquis vir cum viro labitur, quod nimirum scelus, ut supra docuimus, per vetustae legis sententiam morte multatur, etiamsi honestis moribus polleat, si psalmodiae studio ferveat, si in amore orationis enitescat, et omnino religiosam vitam sub approbatae famae testimonio ducat; reatus quidem indulgentiam plene potest accipere, ad ecclesiasticum vero ordinem nequaquam permittitur aspirare. Nam cum de illo venerabili viro, videlicet Importuno, qui primum tanto fervore laudis attollitur, tot religiosae, et honestae vitae infulis redimitur, tot virtutum praconiis decoratur; tamen postmodum dicitur: «Si nulla ei crimina, quas per sacrae legis regulam morte multata sunt, objiciant, tunc ordinandus est.» Patet profecto, quia quem dignum morte crimen abjecerat, quaelibet religiosa vita subsequens ad suscipiendum ecclesiastici gradus ordinem non reformat. Nec valet ad obtinendum honoris culmen assurgere, qui in mortalis culpa barathrum non ambigitur cecidisse. Luce ergo clarius constat, quia quicumque dicto modo lapsus esse convincitur, quod sine dubio mortale crimen est, omnino contra sacrae legis normam, omnino contra divinae auctoritatis regulam ad ecclesiasticum ordinem promovetur.

CAPUT IV.

Si ecclesiastica necessitas poscat, utrum talibus hoc officium peragere liceat.

Sed fortasse dicitur, necessitas imminet, persona, quae sacrum in Ecclesia officium peragat, deest; et congrue sententia, quae prius divina justitia dictante depromitur, oblata rerum necessitate mollitur. Ad haec ego compendiose respondeo: Nunquid et necessitas non incubuerat, cum pontificalis sedes pastore vacabat? An pro utilitate unius hominis censura delebitur, quae in destitutione unius populi inconcussa servatur? Ei quae non solvitur ad profectum innumerae multitudinis, violabitur ob personae commodum singularis? Sed jam ipse quoque praedicator egregius accedat ad medium, et quid de hoc vitio sentiat expressius innotescat. Ait enim in Epistola ad Ephesios: «Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet haereditatem in regno Christi et Dei (Ephes. V).» Si ergo immundus in coelo nec qualemcumque habet haereditatem, qua praesumptione, quo temerario fastu in Ecclesia, quae nihilominus est regnum Dei, obtineat insuper dignitatem? Nunquid qui divinam legem in facinus cadendo postposuit, ascendendo etiam ad ecclesiasticae dignitatis officium contemnere non timebit? Et nihil sibi reservat, quia Deum contemnere in omnibus non formidat.

Sed illis profecto haec lex specialiter est indicta, a quibus exstitit violata, teste Paulo, qui ad Timotheum scribens, ait: «Justo lex non est posita, sed injustis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, patricidis et matricidis, homicidis, fornicariis, et masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, ei si quid aliud sanae doctrinae adversatur (I Tim. I).» Dum igitur

masculorum concubitoribus, ut ostensum est, lex illa sit posita, ut sacros ordines temerare non audeant, a quibus, rogo, lex ista servabitur, si ab his praecipue, quibus indicta est, contemnatur? Et si fortasse persona utilis dicitur, justum est, ut quo prudentius ingeniorum studiis viget, eo cautius authenticae sanctionis mandata conservet. Unusquisque enim quo melius sapit, eo deterius delinquit. Quia inevitabiliter merebitur supplicium qui prudenter, si voluisset, potuit evitare peccatum. Nam ut beatus ait Jacobus : « Scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi (Jac. IV). » Et Veritas dicit: «Cui plus committitur, plus ab eo requiratur.» Nam si in erudito quolibet viro ecclesiasticae disciplinae ordo confunditur, mirum si ab ignorante servatur. Si enim peritus quisque inordinate ad ordinem ducitur, videtur quodammodo se sequentibus, et, ut ita dicam, simplicioribus erroris semitam sternere, quam ipse aggressus est, tumido superbiae pede calcare: et non solum judicandus est, quia peccavit; sed etiam quia propriae praesumptionis exemplo ad aemulationem peccandi et alios invitavit.

CAPUT V.

Quod in reprobum sensum lapsi sunt, qui post hoc vitium habere sacrum ordinem concupiscunt.

Quis enim surda aure praetereat, imo quis non medullitus contremiscat, quod de talibus Apostolus, velut tuba vehemens, intonat, dicens: «Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis (Rom. I). » El paulo post: «Propterea tradidit illos Deus in passione ignominiae. Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam; similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in

invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes: et mercedem, quam oportuit, erroris sui, in semetipsos recipientes: et sicut non probaverunt babere Deum in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt (*Ibid.*). » Quid est enim quod post tam gravem lapsum tantopere sublimitatem ecclesiastici ordinis ambiunt? Quid opinandum est, quid credendum est, nisi quod eos Deus in reprobum sensum tradidit ? Nec ea, quae illis necessaria sunt, peccatis exigentibus, videre permittit. Quia enim illis occidit sol, ille scilicet, qui ascendit super occasum (Psal. LXVII), amissis interioribus oculis, nec considerare praevalent quod gravia sint mala, quae per immunditiam perpetrarunt; neque quam deterius adhuc sit, quod contra voluntatem Dei inordinate habere concupiscunt; et hoc ex divinae justitiae regula consueto more procedit, ut hi qui se hac perditissima sorde commaculant, digna percussi animadversione iudicii, tenebras caecitatis incurrant. Sicut de antiquis illis hujus foeditatis auctoribus legitur: «Cum justo Loth vim vehementissime facerent. jamque prope essent ut effringerent fores. Et ecce, inquit Scriptura, miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, et eos, qui foris erant percusserunt cecitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent (Gen. XIX)». Constat autem, quia per illos duos angelos, qui ad B. Loth venisse leguntur, persona Patris, et Filii non incongrue designatur. Quod per hoc evidenter ostenditur, quod ad eos ipse Loth loquens, dicit: «Quaeso, Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam (*Ibid.*). » Qui enim sic duobus quasi uni singulariter loquitur, certum est quia in duabus personis unam substantiam veneratur.

Sodomitae ergo ad angelos conantur violenter

irrupere, cum immundi homines ad Deum tentant per sacri ordinis officia propinquare. Sed hi profecto caecitate percutiuntur, quia justo Dei judicio in tenebras interiores cadunt; ita ut nec ostium invenire praevaleant, quia a Deo peccando divisi, unde ad eum revertuntur ignorant. Qui enim non per humilitatis, sed per arrogantiae, et tumoris anfractus ad Deum accedere gestiunt, patet profecto, quia unde ingressio aditus pateat non agnoscunt; vel etiam quia ostium Christus est, sicut ipse dicit: «Ego sum ostium (Joan. X).» Qui Christum peccatis exigentibus amittunt, quasi intrare coelestium civium habitaculum non possint, ostium non inveniunt.

In reprobum ergo sensum traditi sunt, quia dum reatus sui pondus in propriae mentis statera non trutinant, gravissimam plumbi massam, poenarum inanium levitatem putant. Quod ergo illic dicitur: «Percusserunt eos qui foris erant caecitate (Gen. XIX);» hoc Apostolus manifeste declarat, cum dicit: «Tradidit eos Deus in reprobum sensum; » et quod illic subjungitur: «Ut ostium invenire non possent; » hoc etiam patenter exponit, cum ait: «Ut faciant quae non conveniunt.» Ac si diceret: ut intrare tentent, unde non debent. Qui enim indignus ordine ad sacri altaris officium conatur irrupere, quid aliud quam relicto januae limine, per immeabilem parietis obicem nititur introire? Et quia liber pedibus non patet ingressus, hi tales dum sibi spondent ad sacrarium posse pertingere, sua praesumptione frustrari coguntur potius in exteriori vestibulo remanere. El frontem quidem possunt in sacrae Scripturae saxa percutere, sed per divinae auctoritatis aditum nequaquam permittuntur intrare; atque dum ingredi, quo non sinuntur, attentant, nihil aliud faciunt, quam obtectum parietem inaniter palpant. Quibus non immerito congruit, quod per prophetam dicitur: «Sicut in nocte ita palpabunt in meridie (Job V). «Et qui recti aditus limen

transcendere nequeunt, pererrando in circuitum insania rotante volvuntur. De quibus per Psalmistam dicitur: «Deus meus, pone illos ut rotam (Psal. LXXXII).» Et item: «In circuitu impii ambulant (Psal. XI).» De quibus etiam Paulus, cum superius memorata loqueretur, paulo post subdit, dicens: «Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui illa faciunt, sed qui consentiunt facientibus (Rom. I). »

Plane qui ad tam terribile apostolicae invectionis tonitru non expergiscitur, hic profecto non dormiens, sed mortuus congrue judicatur. Et cum Apostolus non de Judaeis utcunque fidelibus, sed de gentilibus, et Deum ignorantibus tanto studio sententiam districtae animadversionis exaggeret; quid, rogo, dixisset, si tale hoc vulnus in ipso corpore sanctae Ecclesiae fetere conspiceret? Praesertim quis dolor, quis compassionis ardor pium istud pectus accenderet, si hanc peremptoriam pestem grassari et in sacro ordine didicisset? Audiant desides clericorum, sacerdotumque rectores; audiant, et licet de suo securi sint, alieni reatus se esse participes pertimescant. Illi nimirum, qui ad corrigenda subditorum peccata connivent, et inconsiderato silentio subditis peccandi licentiam praebent. Audiant inquam et prudenter intelligant, quia omnes uniformiter digni sunt morte; videlicet non solum qui illa faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.

CAPUT VI.

De spiritualibus patribus qui cum filiis suis coinquinantur.

Sed, o scelus inauditum! o facinus toto lacrymarum fonte lugendum! Si hi morte plectendi sunt, qui facientibus ista consentiunt, quod dignum illis poterit excogitari supplicium, qui cum suis spiritualibus filiis haec mala

extrema damnatione punienda committunt? Quis jam in gregibus reperiri valeat fructus, cum pastor in ventrem diaboli tam profunda sit praecipitatione demersus? Quis jam sub ejus imperio maneat, quem tam hostiliter a Deo extraneum non ignorat? Qui de poenitente facit pellicem, et quem spiritualiter Deo genuerat filium, ferreo diabolicae tyrannidis imperio per suae carnis immunditiam subjungat servum? Si mulierem quis violat, quam de sacro fonte levavit, nunquid non absque ullo cunctationis obstaculo communionem privandus esse decernitur, et sacrorum censura canonum per publicam poenitentiam transire jubetur? Scriptum namque est; Quia major est generatio spiritualis, quam carnalis.

Sequitur ergo, ut eadem sententia digne feriat et qui carnalem filiam perdidit, et qui spiritualem sacrilega commistione corruptit; nisi forte in hoc utriusque criminis qualitas discernatur, quod uterque, licet incestuose, naturaliter tamen, quia cum muliere peccavit; ille autem sacrilegium commisit in filium, incestus crimen incurrit in masculinum, naturae jura dissolvit. Miserabilis quippe conditio est, ubi sic unius ruina pendet ex altero; ut dum unus exstinguitur, alter in mortem necessario subsequatur.

CAPUT VII.

De illis, qui eisdem, cum quibus lapsi sunt, sua crimina confitentur. [Vide calcem in pagina 51].

Ut autem diabolicae machinationis argumenta non lateant, sed quae in officina veteris malitiae secreto fabricantur, in lucem me pallificante procedant; illud absconsum iri non patior, quod quidam hujus veneno criminis satiati, dum quasi ad cor redeunt, ne reatus ad aliorum notitiam prodeat, inter se invicem confitentur: et

dum hominum faciem erubescunt, qui reatus auctores existunt, ipsi iudices fiunt; et indiscretam indulgentiam, quam sibi quisque affectat impendi, gaudeat alteri vicaria permutatione largiri. Unde fit, ut et magnorum criminum poenitentes sint, et tamen nec ora jejunio palleant, nec corpora macie contabescant; et dum nullo modo venter ab immoderata alimentorum perceptione restringitur, in ardorem consuetae libidinis animus turpiter inflammatur. Quo fit, ut qui commissa necdum fleverat, adhuc deterius lugenda committat.

Sed legis paeceptum est, ut cum quis lepra perfunditur, sacerdotibus ostendatur; tunc autem non sacerdotibus sed leproso potius ostenditur, cum immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur. Sed cum confessio utique manifestatio sit, quid, obsecro, manifestat, qui audienti cognitum narrat, aut quo pacto confessio illa dicenda est, ubi nihil a confitente manifestatur, nisi quod jampridem ab audiente cognoscitur? Et qui sociati vinculo peractae iniquitatis astringitur, qua lege, quo jure alterum poterit ligare vel solvere? Frustra enim quis alium solvere nititur, qui et ipse vinculis irretitur. Et qui caeco vult fieri dux itineris, necesse est ut ipse videat, ne sequenti se auctor praecipitationis fiat, sicut voce Veritatis dicitur, ubi ait: «Si caecus caecum duxerit, ambo in foveam cadunt (Matth. XV);» et iterum: «Vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras (Matth. VII) : Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui (Ibid.).»

His evangelicis testimoniis apertissime declaratur, quia qui ejusdem reatus tenebris premitur, frustra alium ad lumen poenitentiae revocare conatur; et dum supra vires suas alium errando perire non metuit, cum eo simul, qui

sequitur, prasentis ruinae foveam non evadit.

CAPUT VIII.

Quod sicut sacrilegus virginis violator, ita quoque filii spiritualis prostitutor jure sit deponendus.

Sed jam te ore ad os, quisquis es, carnalis homo, convenio. Nunquidnam ideo spiritualibus viris confiteri commissa detrectas; quia el ab ecclesiastice gradu cessare formidas? Sed quanto salubrius est in conspectu hominum temporalem perpeti verecundiam, quam ante tribunal superni Judicis aeternam subire vindictam? Dicis forsitan mihi: Si solummodo inter femora vir cum viro ceciderit, poenitentiam quidem aget, sed piaie homanitatis intuitu irrevocabiliter a suo gradu dejici non debet. Quaero abs te: Si quis sacrilege cum virgine periclitatus fuerit, nunquid in suo gradu tuo judicio permanebit? Sed non est ambiguum, quin hujusmodi censeas deponendum; consequens igitur est, ut quod de sacra virgine rationabiliter asseris, de filio spirituali etiam inevitabiliter fatearis ; ac per hoc, quod de spiritualibus patribus videris asserere, idipsum te, necesse est, de clericis definire. Hac tamen, ut dictum est, diversitate servata, quia hoc tanto perpenditur esse deterius, quanto per identitatem sexuum naturae probatur adversum, et tum in judicandis excessibus jure ad delinquentis semper recurratur arbitrium, qui masculina femora polluit, si natura permetteret, quidquid in mulieribus agitur, totum in masculo per effrenatae libidinis insaniae perpetraret, fecit quod potuit: ad haec usque perveniens quae natura negavit, et illic invitus metam criminis fixit, ubi naturae necessitas intransmeabilem facultatis terminum collocavit. Quia ergo eadem lex est utriusque sexus viris sacris, et clericis, concludamus necesse est, ut sicut virginis sacrilegus violator jure deponitur, ita etiam filii spiritualis

prostitutor modis omnibus a suo nihilominus arceatur officio.

CAPUT IX.

Quod ejusdem criminis reus sit, et qui cum carnali, vel baptismatis filia labitur.

Et ut ad sacros, id est, execrabiles confessores adhuc se disputationis sermo retorqueat: si quilibet canonicus presbyter cum muliere cecidit, cui poenitentiae iudicium vel semel indixit, a nemine prorsus ambigitur, quin synodalis censura iudicii degradetur; si autem religiosus cum religioso labitur cui videlicet vel in danda poenitentia iudex exstitit vel in accipiendo iudicatus fuit, nunquid non dictante iustitia sui ordinis honore carebit? Ita namque vulgata consuetudine dicitur filius poenitentiae, sicut filius baptismi. Unde et de B. Marco evangelista legitur: «Quia Petri est in baptismo filius.» Et egregius praedicator dicit: «Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare (I Cor. I);» ipse item dicit: «Quae est enim gloria mea ante Dominum? nonne vos? in Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui (I Cor. IV)». Rursumque ad Galatas ait: «Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (Gal. IV).» Si ergo ille genuit, ille parturiit, qui non est missus baptizare, sed evangelizare, ac per hoc poenitentiam provocare, congrue dicitur et ille filius, qui accipit; et ille pater, qui poenitentiam imponit. Jam ergo si superius dicta subtiliter attenduntur, luce clarius constat, quia ejusdem criminis reus est, et qui cum carnali, vel baptismatis filia fornicatur; et is, qui cum filio poenitentiae turpitudinem operatur. Et sicut is, qui cum ea lapsus est, quam carnaliter genuit, vel quam de baptismo suscepit, vel cui poenitentiae iudicium posuit; ita etiam qui cum filio poenitentiae per immunditiam labitur, iustum est ab eo cujus administrator est ordine omnimodis segregetur.

CAPUT X.

De apocryphis canonibus, in quibus quicumque confidunt, omnino decipiuntur.

Sed quoniam quaedam naeniae sacris canonibus reperiuntur admistae, in quibus perditii homines vana praesumptione confidunt, ex ipsis aliquas hic apponimus, ut non solum eas, sed et omnes alias sibi similes scriptas, ubicunque repertae fuerint, falsas et omnino apocryphas liquido demonstramus. Dicitur enim inter caetera: Presbyter non prolato monachi voto, cum puella, vel meretrice peccans, annos duos, et tribus quadragesimis, secunda, quarta, et sexta feria et Sabbato semper cum sicco pane poeniteat; si cum ancilla Dei, aut masculo, addatur jejunium, id est, quinque annos, si in consuetudine est. Similiter diaconi, si monachi non sunt, duos annos; sicut et monachi, qui sine gradu sunt. Paulo post subditur: Clericus cum puella si sine voto monachi, fornicatus fuerit, dimidium annum poeniteat; si canonicus, similiter; si frequenter, duos annos. Item si quis peccaverit, sicut Sodomitae, quidam dicunt decem annos poenitentiae: qui in consuetudine habet, amplius plecti debet; si est in gradu, degradetur, et sicut laicus poeniteat. Vir, qui inter femora fornicatus fuerit, uno anno poeniteat; si iteraverit, duobus annis; si autem in terga fornicatus fuerit, tres annos poeniteat; si puer, duos annos poeniteat; si cum pecude fuerit fornicatus vel jumento, decem annos poeniteat. Item, episcopus cum quadrupede peccans, decem annos poeniteat, et gradum amittat; presbyter quinque; diaconus tres; clericus duo : et multa alia mendosa, atque sacrilega versutia diaboli sacris canonibus reperiuntur inserta, quae nobis magis iibet obliterare, quam scribere; magis conspuere, quam tam vana ludibria schedulis inculcare. Ecce his deliramentis

carnales homines confidunt, his velut somniorum portentis fidem attribuunt, et vanae se spei securitate deludunt. Sed videamus, si canonicae auctoritati ista convenient; et utrum tenenda sint, an vitanda, non tam verbis, quam rebus attestantibus innotescant.

CAPUT XI.

Probabilis reprobatio supradictorum canonum.

Igitur, ut ad principium hujus captiosi capituli redeamus, dicitur: Quia presbyter non prolato monachi voto, cum puella, vel meretrice peccans, annos duos poeniteat. Et quis tam hebes, quis tam insanus reperiri valeat, qui duorum annorum poenitentiam, deprehenso in fornicatione presbytero, idoneam credat? Si quis enim quantulamcunque scientiam canonicae auctoritatis vel summotenus attigit, ut districtiora judicia taceamus, quia lapsu in fornicatione presbytero, saltem decem annorum poenitentia decernatur, patenter agnoscit. Haec autem duorum annorum de fornicatione poenitentia non modo non sacerdotum, sed nec laicorum esse perpenditur, quibus nimirum ex hac ruina ad satisfactionem currentibus, triennium judicatur. Deinde additur: Si cum ancilla Dei, aut masculo, subauditur presbyter, peccaverit, addatur jejunium, id est, quinque annorum, si in consuetudine est: similiter diaconi, si monachi non sunt, duobus annis, sicut et monachi qui sine gradu sunt, poeniteant. Unum in capite hujus insensatae sententiae, quam expono, alacriter video, libenter attendo; nimirum quod dicitur: Si cum ancilla Dei, aut cum masculo. Ecce, o bone vir Sodomita, in ipsa tua scriptura, quam singulariter diligis, quam inhianter amplecteris, quam tibi velut clypeum defensionis opponis, aperte consideras, quia sive cum ancilla Dei quis peccet, sive cum masculo, nihil differt; sed aequale peccatum, par decernitur esse

judicium. Jam nihil est unde mecum conflagere, nihil unde a meis jure possis allegationibus dissentire.

Sed quis tam vesane desipiat, quis tam profundae tenebras caecitatis incurrat, ut de lapsu cum ancilla Dei, hoc est, sanctimoniali, vel presbytero, quinque; vel diacono, sive monacho, duorum annorum imponendam poenitentiam censeat? Nonne haec est insidiatrix tendicula pereuntium? Nonne hic est errantium laqueus animarum? Illud autem quis non poterit improbare, quod dicitur: Quia clericus cum puella si sine voto monachi fornicatus fuerit, dimidium annum poeniteat? Et quis ita sacrae Scripturae scientia polleat, quis ita vel in dialecticae subtilitatis acumine argumentosus existat, ut tam ex lege legem, tam laudabiliter detestandae auctoritatis judicabile praejudicium condemnare praesumat? Unde laico triennium datur, inde clericus dimidio anno poenitere praecipitur? Beati ergo clerici, qui fornicantur, Sodomitarum si arbitrio judicentur: eadem quippe mensura qua metiuntur aliis, remtiri cupiunt, sibimetipsis. Satis iste auctor erroris ad lucrandas diabolo animas avidus exstitit, qui dum monachos perdere studuit, usque ad ordinem clericorum dogma suae perversitatis extendit; et animarum homicida, dum sola monachorum morte stomachum suae malitiae gulatenus explere non potuit, satiare se vel ex alio ordine concupivit.

Jam vero quod sequitur, videamus: Si quis peccaverit sicut Sodomitae, quidam decem annos dicunt poenitentiae; qui in consuetudine habet, amplius plecti debet; si in gradu est, degradetur, et sicut laicus poeniteat. Vir, qui inter femora fornicatus fuerit, uno anno poeniteat; si iteraverit, duobus annis poeniteat; si autem in terga fornicatus fuerit, tribus annis poeniteat. Et cum peccare sicut Sodomita, ut ipsi perhibetis, nihil aliud sit, quam fornicari in terga; quid est, quod vestri canones in uno pene versiculo tam

multiformes inveniuntur et varii; ut peccantibus sicut Sodomtae, decennii pondus injungant; in terga vero fornicantibus, quod idem est, infra triennii compendium poenitentiae lamenta coerceant? Nonne haec monstris merito comparantur, non natura prolatis, sed industria humana compositis, quorum quaedam a capitibus equinis incipiunt, et in hircorum ungulas terminantur? Quibus ergo canonibus, quibus Patrum decretis ludibrio ista convenient, quas a semetipsis tam dissona, et ultra cornuta fronte resultant? Quaeque semetipsa convellunt, quibus auctoritatibus fulciantur? «Omne enim regnum, ait Salvator, in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet, et si Satanus in seipsum divisus est, quomodo stabit doctrina ipsius?» (Luc. XI). Modo enim iudicium distractionis intendere, modo crudelem videntur quasi misericordiam exhibere: et velut in chimerali monstro hinc minas leonis specie terribiliter intonat, inde vilis capella humiliter beat; et hac velut variarum diversitate formarum in risum potius excitant, quam ad poenitentiae lamenta compungant.

Quibus quoque in errore similia sunt, quae sequuntur: Qui cum pecude fuerit fornicatus, vel jumento, decem annis poeniteat; item episcopus cum quadrupedibus peccans, decem annis poeniteat, et gradum amittat; presbyter quinque, diaconus tres, clericus duos; cum prius absolute dicat: Quia quicumque cum pecude vel jumento fuerit fornicatus, decem annorum satisfactione multabitur; quomodo consequens est, quod subjungitur: ut presbytero quinque, diacono trium, clerico duorum annorum de pecuali concubitu poenitentia indicetur? Unde quicumque, hoc est, quilibet etiam laicus et decennalis spatii afflictione constringitur, inde presbytero quinquennium ponitur, id est, dimidium totius poenitentiae relaxatur. Quibus, rogo, sacri eloquii paginis haec frivola insomnia congruunt, quae semetipsa tam evidenter impugnant? Quis non perpendat,

quis aperte non videat, quia haec, et his similia sacris canonibus fraudulenter immista, figmenta sunt diabolica, atque ad decipiendas simplicium animas callidis machinationibus instituta? Sicut enim melli, vel quibuslibet esculentioribus cibis venenum fraudulenter immititur, ut dum ad comedendum alimentorum suavitas provocat, virus, quod latet, facilius in hominis interiora se transfundat; ita haec subdola et mendosa commenta sacris inseruntur eloquiis, ut suspicionem effugiant falsitatis; et quodam quasi melle sunt oblinita, dum falsae pietatis videntur dulcedine saporata. Sed cave ab his, quicumque es, ne te Sirenarum carmen mortifera suavitate demulceat; ne navim tuae mentis in Scyllacae voraginis profunda demergat: non te sanctorum conciliorum pelagus prolata forsitan austeritate perterreat; non te vadosi syrtes apocryphorum canonum promissa lenitate fluctuum trahant. Saepe enim navis procellosos fugiens fluctus, dum littoreis propinquaret arenis, naufragium pertulit; et saepe alta pelagi sulcans, sine jactura oneris, incolumis enatavit.

CAPUT XII.

Quod haec ludibria jure a numero canonum excluduntur, quod certum habere non videantur auctorem.

Verumtamen quis istos canones fabricavit? quis in purpureo Ecclesiae nemore tam spinosos, tam aculeatos paliuri tribulos seminare praesumpsit? Constat nimirum, quod omnes authentici canones, aut in venerandis synodalibus conciliis sunt inventi, aut a sanctis Patribus Sedis Apostolicae Pontificibus promulgati: nec cuiquam soli homini licet canones edere, sed illi tantummodo hoc competit privilegium, qui in B. Petri cathedra cernitur praesidere. Haec autem, de quibus loquimur, spuria

canonum vitulamina, et a sacris conciliis noscuntur exclusa, et a decretis Patrum omnino probantur extranea: sequitur ergo, ut nequaquam inter canones habeantur, quae nec decretalibus Patrum edictis, nec a sacris videntur prodire conciliis. Quidquid enim inter species non annumeratur, a genere procul dubio alienum esse decernitur. Quod si nomen auctoris inquiratur, certum non valet dici, quia nec poterat in variis codicibus uniformiter inveniri. Alibi enim scribitur, Theodorus dicit; alibi, Poenitentialis Romanus dicit; alibi, Canones apostolorum; aliter hic, aliter titulatur illic: et dum unum habere non merentur auctorem, omnem perdunt sine dubio auctoritatem. Quae enim sub tot incertis auctoribus nutant, nullum certa auctoritate confirmant. Et necesse est, ut quae dubietatis caliginem legentibus generant, a luce sacrarum Scripturarum, remota omni dubietate, recedant. Jam vero his scenicis deliramentis, de quibus carnales homines praesumebant, ex numero canonum eliminatis, ac perspicua argumentorum ratione convictis, illos canones apponamus, de quorum fide et auctoritate nulla prorsus ambiguitate diffidimus. In Ancyrano quippe concilio reperitur.

CAPUT XIII.

De his, qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur.

De his qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur: quotquot ante vigesimum annum tale crimen commiserunt, quindecim annis exactis in poenitentia, communionem mereantur orationum; deinde quinquennio in hac communionem durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem et vita eorum, qualis tempore poenitudinis extiterit, et ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his haerere criminibus, ad agendam

poenitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum aetate, et uxorem habentes, hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annorum poenitudinem gerentes, in communionem recipiantur orationum, in qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quod si qui et uxores habentes, et transcendent quinquagesimum annum aetatis ita deliquerint, ad exitum vitae communionis gratiam consequantur.

Ecce in ipso hujus venerandae auctoritatis titulo manifeste perpendimus, quia non solum hi, qui consummato actu contra naturam delinquent; sed et hi, qui quolibet ingenio cum masculis polluuntur, concubitoribus pecorum per omnia comparantur. Si enim ad interjecta verba respicimus, caute et cum magnae discretionis libramine posita pervidemus, cum dicitur: Qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur. Nam si per hoc, quod dicitur, qui cum masculis polluuntur, eos tantummodo, qui consummato actu contra naturam peccant, exprimere voluisset, nequaquam ei necesse fuisset duo verba proponere, qui cum solo eo, quod est, miscentur, potuisset suae intentionis dicta complere. Sufficeret quippe ad styli compendium, si totam sententiam uno verbo comprehenderet, dicens: Qui miscentur pecoribus, aut masculis. Miscentur enim uno modo et hi, qui pecora, et hi, qui masculos violant. Sed eum alios misceri pecoribus, alios non misceri, sed pollui cum masculis dicat; patet profecto, quia in fine commatis non de corruptoribus tantummodo masculorum, sed et de quolibet modo pollutoribus sententiam proferat. Notandum autem hujus constitutionis edictum praecipue de laicis institutum, quod facile perpenditur in eo, quod in sequentiibus subinfertur: Quotquot autem peracta viginti annorum aetate, et uxorem habentes, hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque

annorum poenitentiam gerentes, in communionem recipiantur orationum, in qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant.

Si ergo quilibet saecularis huius facinoris reus, peracta viginti quinque annorum poenitentia, in communionem quidem orationum, necdum autem ad percipienda oblationum sacramenta admittuntur, quo pacto religiosus non solum ad percipienda, sed etiam ad offerenda, et consecranda ipsa sacra mysteria idoneus iudicabitur? Si vix illi permittitur, ut ecclesiam cum aliis oraturus introeat; qualiter isti dabitur, ut ad altare Domini pro aliis intercessurus accedat? Si ille antequam tam prolixum poenitentiae spatium transigat, non meretur audire; iste quomodo dignus est sacra missarum solemnia celebrare? Si ille qui minus peccavit, ut puta per latum saeculi iter incedens, indignus est coelestis Eucharistiae munus ore percipere; qualiter iste merebitur tam terribile mysterium pollutis manibus contrectare? Videamus adhuc idem Ancyranum concilium, quid ex eodem crimine iterum definierit.

CAPUT XIV.

De his qui in pecudes, vel in masculos aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt.

Eos qui irrationabiliter vixerunt, et lepra injusti criminis alios polluerunt, praecepit sancta synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo. Plane dum non dicit, qui lepra injusti criminis alios corruperant, sed polluerunt, quod etiam cum ipsius tituli praefatione concordat, ubi non de corruptis sed de pollutis exorsum est; liquet profecto, quia quocumque modo per ardorem libidinis vir cum viro polluitur, non inter catholicos Christianos, sed inter

daemoniacos orare praecipitur; quatenus si carnales homines ex semetipsis nesciunt pensare quod sunt, ab ipsis saltem valeant edoceri, cura quibus sunt communi orationis ergastulo deputati.

Et certe satis dignum est, ut qui contra legem naturae, contra humanae rationis ordinem, carnem suam per tam foeda commercia daemonibus tradunt, communem orationis angulum cum daemoniacis sortiantur. Nam cum his malis ipsa penitus humana natura resistat, difficultatem diversi sexus abhorreat, luce clarius constat, quia nunquam tam aversa, tam aliena praesumerent, nisi eos, ut puta vasa irae apta in interitum, iniqui spiritus pleniter possiderent; sed cum eos possidere incipiant, tunc per omne, quod implent, invasi pectoris tartareum virus suae malignitatis infundunt, ut jam illa inhianter appetant, non quae naturalis motus carnis efflagitet, sed quae sola diabolica praecipitatio subministret. Nam cum vir in virum ad perpetrandam immunditiam irruit, non est ille naturalis impetus carnis, sed tantum diabolicae stimulus impulsio. Vigilanter ergo sancti Patres Sodomitas cum energumenis simul orare sanxerunt, quos eodem diabolico spiritu invasos esse non dubitaverunt. Quomodo ergo per sacerdotalis officii dignitatem inter Deum et populum debet mediator assistere, qui a totius populi congregatione sejunctus, nunquam nisi inter daemoniacos jubetur orare? Sed quoniam duo ex uno sacro concilio testimonia adhibere curavimus, quid etiam magnus Basilius de eo, de quo nunc agitur, vitio sentiat, inseramus: ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; ait enim:

CAPUT XV.

De clericis, vel monachis, si fuerint masculorum insectatores.

Clericus, vel monachus adolescentum, vel parvulorum insectator, vel qui osculo, vel qui aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, publice verberetur, et coronam amittat, decalvatusque turpiter sputamentis obliniatur in facie, vinculisque arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustia maceretur, et triduo per hebdomadas singulas ex pane hordeaceo ad vesperam feriat; post haec aliis sex mensibus sub senioris spiritualis custodia, segregata in curticula degens, operi manuum et orationi sit intentus, vigiliis et orationibus subjectus, ei sub custodia semper duorum spiritualium fratrum ambulet, nulla prava locutione, vel concilio deinceps juvenibus conjungendus.

Hic carnalis homo studiose perpendat, utrum ecclesiasticis officiis tuto ministrare valeat, quem sacra auctoritas tam ignominiosis, tam turpibus dehonestandum contumeliis judicat; nec ex eo sibi blandiatur, quia neminem corruerit, cum apertissime scriptum videat, quia qui solo osculo, vel aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, omnibus illis probrosae disciplinae confusionibus merito subjacebit. Quod si osculum tam austerae ultionis supplicio plectitur, ipsa cum alio contaminatio quid meretur? Ad puniendum namque cui crimini, cui immanissimo sceleri non sufficeret publice verberari, coronam amittere, turpiter decalvari, salivarum spurcitiis obliniri, carceralibus angustiis diutius comprini, ferreis insuper vinculis coarctari? postremum quoque hordeaceo pane feriari praecipitur; quia qui factus est sicut equus et mulus (Psalo. XXXI) congrue non cibo reficitur hominum, sed annona pascitur jumentorum.

Porro si hujus peccati pondus pensare negligimus, in ipso saltem poenitentiae iudicio, quod imponitur, manifestissime declaratur. Quisquis enim canonica censura

publicam subire poenitentiam cogitur, profecto ecclesiasticis indignus officiis perspicua Patrum sententia iudicatur. Unde ei beatus papa Siricius inter caetera scripsit, dicens: Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post poenitudinem, ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci; quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerant vasa vitiorum. Cum ergo hujus peccati obnoxium non solum duram, sed et publicam poenitentiam B. Basilius subire praecipiat, poenitentem vero clericatus ordinem obtinere Siricius interdicit; manifeste colligitur, quia qui foeda cum masculo libidinosse immunditiae sorde polluitur, ecclesiasticis fungi officiis non meretur; nec idonei sunt divinum tractare mysterium, qui, ut dicitur, dudum fuerant vasa vitiorum.

CAPUT XVI.

Nefandae turpitudinis digna vituperatio.

Hoc sane vitium nulli prorsus est vitio conferendum, quod omnium immanitatem superat vitiorum. Hoc siquidem vitium mors est corporum, interitus est animarum, carnem polluit, mentis lumen exstinguit, Spiritum sanctum de templo humani pectoris ejicit, incentorem luxuriae diabolum introducit, mittit in errorem, subtrahit deceptae menti funditus veritatem, eunti laqueos praeparat, cadenti in puteum, ne egrediatur oppilat, infernum aperit, paradisi januam claudit, coelestis Jerusalem civem tartareae Babylonis facit haeredem, de stella coeli, stipulam exhibet ignis aeterni, abscindit membrum Ecclesiae, et in vorax projicit gehennae aestuantis incendium. Hoc vitium supernae patriae muros conatur evertere, et rediviva

exustae Sodomae satagit moenia reparare. Hoc est enim, quod sobrietatem violat, pudicitiam necat, castitatem jugulat, virginitatem, quae irrecuperabilis est, spurcissimae contagionis mucrone trucidat. Omnia foedat, omnia maculat, omnia polluit; et quantum ad se, nihil purum, nihil a sordibus alienum, nihil mundum esse permittit: «Omnia enim, ut Apostolus ait, munda mundis: contaminatis autem et infidelibus nihil mundum (Tit. I). »

Hoc vitium a choro ecclesiastici conventus eliminat, et cum energumenis ac daemonio laborantibus orare compellit, a Deo animam separat, ut daemonibus jungat. Haec pestilentissima Sodomorum regina suae tyrannidis legibus obsequentem, hominibus turpem, Deo reddit odibilem; adversus Deum nefanda bella conserere, nequissimi spiritus imperat militiam bajulare; ab angelorum consortio separat, et infelicem animam sub propriae dominationis jugo a sua nobilitate captivat. Virtutum armis suos milites exuit, omniumque vitiorum jaculis, ut confodiantur, exponit. In Ecclesia humiliat, in foro condemnat, foedat in secreto, dehonestat in publico, conscientiam rodit ut vermis, carnem exurit ut ignis; anhelat, ut voluptatem expleat; at contra timet ne ad medium veniat, ne in publicum exeat, ne hominibus innotescat. Quem enim ille non timeat, qui et ipsum communis ruinae participem pavida suspicione formidat? Ne videlicet et ipse qui simul peccat, iudex sceleris per confessionem fiat, dum non modo quia peccaverit, confiteri non ambigat, sed etiam cum quo peccavit consequenter adjungat: ut sicut unus in peccato mori, nisi altero moriente non potuit; ita et alter alteri resurgendi occasionem praebeat, cum resurgit. Ardet caro misera furore libidinis, tremit mens frigida rancore suspicionis, et in pectore miseri hominis jam quasi tartareum chaos exaestuatur, dum quot cogitationum aculeis pungitur, quodammodo tot poenarum

suppliciis cruciatur. Infelici quippe animae postquam hic venenatissimus coluber dentes semel infixerit, illico sensus adimitur, memoria tollitur, mentis acies obscuratur; fit immemor Dei, obliviscitur etiam sui. Haec namque pestis fidei fundamentum evacuat, spei robur enervat, charitatis vinculum dissipat, justitiam tollit, fortitudinem subruit, temperantiam eximit, prudentiae acumen obtundit.

Et quid amplius dicam? Quandoquidem omnem virtutum cuneum de curia humani cordis expellit, omnemque vitiorum barbariem, velut evulsis portarum repagulis, intromittit. Cui scilicet illa, quae sub specie terrena Jerusalem dicitur, Jeremiae sententia congruenter aptatur: «Manum, inquit, misit hostis ad omnia desiderabilia ejus; quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam (Thren. I).» Nimirum quem haec atrocissima bestia cruentis semel faucibus devorat, a cunctis bonis operibus quibusdam suis vinculis obligat, per omnia nequissimae pravitatis abrupta praecipitanter effrenat. Mox nempe ut quisque in hanc extremae perditionis abyssum fuerit lapsus, a superna patria exsul efficitur, a Christi corpore separatur, totius Ecclesiae auctoritate confunditur, omnium sanctorum Patrum judicio condemnatur, inter homines in terra despicitur, a coelestium civium contubernio reprobatur; fit sibi coelum ferreum, et terra aenea; neque illuc potest pondere criminis gravatus assurgere; neque hic sua mala ignorantiae latibulo diutius occultare; non hic potest gaudere, dum vivit; nec illic sperare, dum deficit, quia et nunc humanae derisionis opprobrium, et postmodum aeternae damnationis cogitur perferre tormentum. Cui videlicet animae bene congruit illa prophetae lamentationis vox, qua dicitur: «Vide, Domine, quoniam tribulor, venter meus conturbatus est, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam plena sum amaritudine: foris

interficit gladius, et domi mors similis est (Thren. I). »

CAPUT XVII.

Flebilis lamentatio super animam immunditiae sordibus deditam.

Ego, ego te, infelix anima, defleo, atque ex intimo pectore de tuae perditionis sorte suspiro. Defleo te, inquam, miserabilis anima immunditiae sordibus dedita, toto nimirum lacrymarum fonte lugenda. Proh dolor! Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? (Jer. IX). Nec inconvenientius hoc flebilis vox me nunc singultante depromitur, quam tunc ex ore prophético ferebatur. Non enim lapidea turritae urbis propugnacula, non manufacti templi subversa couqueror aedificia, non vilis vulgi agmina lamentor ad Babylonici regis imperium ducta fuisse captiva; nobilis a me anima plangitur, ad imaginem Dei, et similitudinem condita, et pretiosissimo Christi sanguine comparata, multis clarior aedificiis, cunctis certe terrenae fabricae praeferenda fastigiis. Insignis igitur animae lapsum, et templi, in quo Christus habitaverat, lamentor excidium. Oculi mei, plorando deficite, uberes lacrymarum rivos effundite, continuis fletibus tristitia lugubres ora rigate. Deducant cum propheta oculi mei lacrymas per diem et noctem, et non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima, vehementer (Jer. XIV). Filia quippe populi mei pessima plaga percussa est; quia anima, quae sanctae Ecclesiae fuerat filia, ab hoste humani generis telo immunditiae est crudeliter sauciata: et quae in aula regis aeterni lacte sacri eloquii tenere ac molliter enutriebatur; nunc veneno libidinis pestilenter infecta, in sulphureis Gomorrhae cineribus tumefacta, ac rigida jacere conspicitur. «Qui enim vescebantur voluptuose, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora

(Thren. IV).» Quare? sequitur propheta, et dicit: «Quia major effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum, quae subversa est in momento (*Ibid.*)» iniquitas quippe Christianae animae peccatum superat Sodomorum, quia unusquisque nunc tanto deterius delinquit, quanto et ipsa evangelicae gratiae mandata contemnit; et ne remedium excusatoriae tergiversationis inveniatur, notitia illum divinae legis instanter accusat.

Heu, heu, infelix anima! cur non consideras a quantae dignitatis culmine sis ejecta, quanto splendoris et gloriae sis decore nudata? Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, projecit de coelo in terram inclytam Israel, egressus est a filia Sion omnis decor ejus (Thren. II). Ego calamitati tuae compatiens, et ignominiam tuam amarissime deflens, dico: «Defecerunt prae lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritione filiae populi mei (*Ibid.* II);» et tu mala tua pensare dissimulans, atque animos a crimine sumens, Sedeo, ais, regina; et vidua non sum! Ego captivitatem tuam miseratus exclamo: Quare Jacob ductus est ut vernaculus, et Israel factus est in praedam? (Jer. II). Et tu dicis: Quia dives sum, et locupletatus, et nullius egeo. Et nescis quia tu es miser, miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus? (Apoc. III).

Perpende, miser, quanta cor tuum obscuritas premat; animadvertite, quam densa te caligo caecitatis involvat. In virilem sexum furor te libidinis impulit? In tuam te speciem, hoc est, virum in virum, luxuriae rabies incitavit? Nunquid hircus in hircum aliquando libidine praecipitatus insiliit? Nunquid aries in arietem ardore coitus insanivit? Equus nempe cum equo ad unum praesepe blande et concorditer pascitur, qui visa equa in sensibilitatem luxuriae protinus efferatur. Nunquam taurus taurum amore coeundi

petulanter appetiit, nunquam asinus stimulo concumbendi cum asino ruditus emisit. Hoc ergo perditii homines perpetrare non metuunt, quod ipsa quoque bruta animalia perhorrescunt : quod ab humanae pravitatis temeritate committitur, irrationabilium pecorum iudicio condemnatur. Dic, vir evirate ; responde, homo effeminate, quid in viro quaeris, quod in temetipso invenire non possis ? quam diversitatem sexuum ? quae varia lineamenta membrorum ? quam mollitiem ? quam carnalis illecebrae teneritudinem ? quam lubrici vultus jucunditatem ? Terreat te, quaeso, vigor masculini aspectus, abborreat mens tua viriles artus, Naturalis quippe appetitus officium est, ut hoc unusquisque extrinsecus quaerat quod intra suae facultatis claustra reperire non valet. Si ergo te contrectatio masculinae carnis oblectat, verte manus in te : et scito, quia quidquid apud te non invenis, in alieno corpore in vacuum quaeris. Vae tibi, infelix anima ! de cujus interitu tristantur angeli, insultant plausibus inimici; facta es praeda daemonum, rapina crudelium, spolium impiorum : «Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui; sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus eam : en ista est dies, quam exspectabamus : invenimus, vidimus (Thren. II). »

CAPUT XVIII.

Quod ideo anima debet plangi, quia non plangit.

Idcirco ego te, o miserabilis anima, tot lamentationibus defleo, quia te flere non cerno; idcirco ego pro te humi prostratus jaceo, quia te male erectam post tam gravem lapsum ultro etiam ad fastigium ecclesiastici ordinis contendere video. Caeterum si tu te in humilitate deprimeres, ego de tua restauratione securus, totis in Domino visceribus exultarem ; si contriti cordis digna compunctio pectoris tui arcana concuteret, ego non

immerito ineffabilis laetitiae tripudio jucundarer. Idcirco ergo maxime flenda es, quia non fles ; ideo alienis doloribus indiges, quia calamitatis tuae periculum ipsa non doles; et eo amarioribus fraternae compassionis es fletibus deploranda, quo nullo perpenderis propriae tristitiae maerore turbata ; ut quid damnationis tuae pondus pensare dissimulas ? ut quid te modo in peccatorum profunda mergendo, modo in superbiam elevando, iram tibi in die irae thesaurizare non cessas ? Venit, venit super te maledictio illa, quae ex ore S. David in Joab, et in domum ejus est, fuso Abner sanguine, jaculata. Pestis illa Gomorrhiana nunc in habitatione tui corporis vivit, quae domum Joab crudelis homicidii ultione damnavit. Percusso quippe Abner, ait S. David; «Mundus ego sum, et regnum meum usque in sempiternum a sanguine Abner filii Ner : et veniat super caput Joab, et super omnem domum patris ejus, nec deficiat de domo Joab [Gomorrhianum] fluxum seminis sustinens (II Reg. III). » Pro quo secunda translatio habet: Fluxum seminis sustinens, et leprosus tenens fustum, et cadens gladio, et indigens pane. Lepra quippe perfunditur, qui gravis peccati labe foedatur. Fustum vero tenere, est virilis vitae fortia facta relinquere, et femineae conversationis illecebrosam mollitiem exhibere. Gladio cadit, qui furorem divinae indignationis incurrit. Pane indiget, quem a perceptione Christi corporis, proprii reatus poena coercet: Ille est enim panis vivus qui de coelo descendit (Joan. VII).

Si ergo post fluxum seminis leprosus factus praecepto legis extra castra manere compelleris, cur adhuc in eisdem castris etiam honoris primatum obtinere contendis? Nunquid non Ozias rex cum superbe adolere incensum super altare thymiamatis voluisset, postquam se plaga leprae coelitus percussum agnovit, non modo a sacerdotibus de templo expelli patienter tulit; sed et ipse celeriter egredi

festinavit? Scriptum quippe est: «Cumque respexisset eum Azarias pontifex, et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum ;» moxque subjungitur : « Sed et ipse perterritus, acceleravit egredi, eo quod sensisset plagam Domini (II Paral. XXVI). »

Si rex corporali lepra percussus, a sacerdotibus de templo ejici non contempsit, tu leprosus in anima, cur tot sanctorum Patrum judicio a sacris altaribus removeri non pateris ? Si ipse dimisso regiae dignitatis imperio, habitare in domo privata usque ad obitum non erubuit; tu cur a sacerdotalis officii confunderis arce descendere, ut in poenitentiae sepultura conclusus, te inter vivos studeas quasi mortuum deputare ? Et, ut ad illam Joab mysticam recurramus historiam, si ipse gladio corruisti, quomodo alium per sacerdotalem gratiam suscitabis? Si ipse exigentibus meritis, indiges pane, id est, a Christi separatus es corpore, quo pacto alium poteris coelestis mensae dapibus satiare? Si tu Oziae lepra es percussus in fronte, hoc est, infamiae nota dehonestaris in facie, quomodo alium poteris obducta perpetrati criminis alluvione purgare ? Erubescat ergo tumefacta superbia, nec super se extolli inaniter appetat, quam infra se proprii reatus sarcina non mediocriter gravat; discat mala sua subtili consideratione perpendere, discat se intra mensurae suae metas humiliter cohibere, ne dum id, quod nullo modo praevalet assequi, arroganter usurpet: hoc etiam quod vera humilitas sperare potuisset, prorsus amittat.

CAPUT XIX.

Quod ruina est populi, officium sacerdotis indigni.

Quid est, quaeo, o damnabiles carnales homines, quod tanto ambitionis ardore ecclesiasticae dignitatis culmen

appetitis? Quid est, quod tanto desiderio vestrae perditionis nexibus Dei populum illaqueare tentatis? Non vobis sufficit, quia vosmetipsos in alta facinorum praecipitia mergitis, nisi ruinae vestrae periculo et alios involvatis ? Si enim fortasse quis veniat, ut pro se ad intercedendum nos apud potentem quempiam virum qui sibi iratus, nobis vero esset incognitus, dicat, protinus respondemus : Ad intercedendum venire non possumus, quia familiaritatis ejus notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem, de quo minime praesumit, fieri intercessor erubescit: qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiae esse per vitae meritum nescit ? Aut ab eo quomodo in aliis veniam postulat, qui, utrum sibi sit placatus, ignorat ? Qua in re est adhuc aliud sollicitius formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquido novimus, quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

Qui ergo adhuc desideriis terrenis astringitur, caveat, ne districti iram Judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriae, fiat subditis auctor ruinae. Solerter ergo se quisque metiatur, ne locum sacerdotalis officii suscipere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat; ne is, quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. Parcite ergo, parcite, et furorem Dei adversum vos inexstinguibiliter accendere formidate, ne quem inique agendo patenter offenditis, ipsis quoque orationibus acrius irritetis, ac propria ruina contenti, cavete fieri alienae perditionis obnoxii; quatenus quo temperantius nunc peccando corruitis, eo facilius quandoque porrecta manu poenitentiae per Dei misericordiam resurgatis.

CAPUT XX.

Quod de manibus immundorum nolit Deus accipere sacrificium.

Quod si ipse omnipotens Deus de manibus vestris sacrificium dedignatur accipere, qui vos estis, qui nolenti importune praesumatis ingerere? Victimae quippe impiorum abominabiles Domino (Prov. XV). Sed qui me stomachamini, atque despicitis auscultare scribentem; ipsum saltem audite prophetico vobis ore loquentem : ipsum, inquam, audite concionantem, intonantem, vestra sacrificia respicientem, vestris obsequiis publice reclamantem. Ait enim eximius propbetarum Isaias, imo Spiritus Sanctus per os Isaiae: «Audite, inquit, verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhae. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum holocausto arietum, et adipe pinguium : et sanguinem vitulorum, et agnorum et hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quaesivit haec de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis ? Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi : neomenias, et Sabbatum, et festivitates alias non feram; iniqui sunt coetus vestri; Kalendas vestras, et solemnitates vestras odit anima mea ; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt (Isa. I).» Animadvertitis igitur, quia licet omnia vitiorum mala divinae correptionis sententia communiter feriat, in principes tamen Sodomorum, et populum Gomorrhae principaliter jaculata descendat; ut si humanae attestationi credere fortasse dissimulat, quam sit hoc mortale vitium, divino saltem testimonio, litigiosorum temeritas acquiescat.

Si autem ab aliquo nobis opponatur, quod in

prophetica locutione subjungitur : «Manus, inquit, vestrae sanguine plenae sunt; » ut videlicet in divinae inventionis oraculo magis homicidium quam carnis immunditiam velit intelligi, noverit in divinis eloquiis omnia peccata sanguinem nuncupari; S. David attestante, qui ait : «Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae (Psal. L).» Verumtamen si et hujus vitii naturam studeamus solerter inspicere et physicorum dicta ad memoriam revocare, invenimus seminis fluxum ex sanguinis origine procreatum. Sicut enim agitatione ventorum aqua maris in spumam convertitur, ita contrectatione genitalium sanguis in humorem seminis excitatur.

Non ergo a sano intellectu abhorreere merito creditur, si quod dictum est, manus vestrae sanguine plenae sunt, de peste immunditiae dictum esse videatur. Et hoc fortasse fuit, quod illa in Joab vindicta non ex alia, quam ex fusi sanguinis culpa processit; ut qui alienum sanguinem volens effuderat, digna eum poena percelleret, si et sui sanguinis profluvium nolendo toleraret. Sed quia diu disputando ad hoc usque pervenimus, ut et ipsum Dominum immundorum sacrificia reprobantem, et contestatorie prohibentem liquido monstraremus : quid nos peccatores miramur, si ab his in nostra admonitione contemnimur? Si divinae vocis imperium parvipendi incrassato reproborum corde conspicimus; quid mirum si nobis non creditur, qui terra sumus?

CAPUT XXI.

Quod nulla sanctitatis oblatio a Deo suscipitur, qua immunditiae sordibus inquinatur.

Jam ergo qui sanctorum Patrum reverenda concilia despicit, qui apostolorum apostolicorumque virorum

praecepta contemnit, qui canonicae sanctionis edicta praeterire non metuit, qui ipsius divinae auctoritatis imperium floccipendit, admonendus est saltem ut diem vocationis suae ante oculos ponat; et quo gravius peccat, eo durius se judicandum esse non ambigat. Sicut sub specie Babylonis ab angelo dicitur : «Quantum se exaltavit, et in deliciis fuit, tantum date ei tormenta et luctus (Apoc. XVIII).» Admonendus est, ut consideret, quia quandiu hujus vitii morbo laborare non cessat, etiam si aliquid boni agere cernitur, suscipere tamen praemium non meretur. Nec ulla religio, nulla sane mortificatio, nulla vitae perfectio oculis superni Judicis digna decernitur, quae tam turpis immunditiae sordibus inquinatur.

Ut autem probetur verum esse quod dicitur, venerabilis S. Bedae testimonium in medium deducatur : «Qui, inquit, ita eleemosynam tribuit, ut culpam non dimittat, animam non redimit, quam a vitiis non compescit.» Hoc ille eremita suo facto probat, qui cum multis virtutibus cum suo quodam collega deservisset, haec illi per diabolum injecta cogitatio est: ut quaecumque libidine titillaretur, sic semen detritu genitalis membri egerere deberet, tanquam phlegma de naribus projiceret; qui ob id et daemonibus moriens, vidente socio, traditus est. Tum idem socius reatum ejus ignorans, sed exercitia virtutum recolens, pene desperavit, dicens : O quis poterit salvus esse? quomodo iste periit? Cui mox angelus astans, dixit: Ne turberis; iste enim, licet multa fecerit, tamen per illud vitium, quod Apostolus vocat immunditiam (Rom. I), cuncta foedavit.

CAPUT XXII.

Quod omnes quatuor illi modi superius enumerati, contra naturam sunt.

Non ergo in eo sibi quisque blandiatur, quia cum alio non corrui, si per semetipsum his luxuriantis illecebrae contaminationibus fluit; cum iste infelix eremita qui daemonibus in mortis articulo traditur, non alium polluisse, sed semetipsum perdidisse per immunditiam doceatur. Sicut enim ex uno vitis cespite diversi palmites prodeunt, ita ex una Sodomitica immunditia, velut venenatissima radice, quatuor illi ramusculi, quos superius enumeravimus, oriuntur : ut ex quocunque eorum quis pestiferum botryonem carpat, protinus veneno infectus indifferenter intereat. Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, et propago eorum ex Gomorrha : « Uva eorum , uva fellis, et botrus amaritudinis ipsis (Deut. XXXII).» Serpens enim iste, quem nostrae disputationis sude frangere nitimur, quadriceps est, et cujuscunque capitis dente momordit, totum mox suae nequitiae virus infudit.

Sive ergo semetipsum quis polluat, sive alium quocunque modo, licet discretionem servata, procul dubio tamen Sodomiticum scelus perpetrasse convincitur. Neque enim legitur, quod illi Sodomorum incolae solummodo alios consummato actu corruperint; sed potius credendum est quod juxta effrenatae libidinis impetum, diversis modis sint in se, vel in alios turpitudinem operati. Discant miseri, discant se a tam detestabilis vitii peste compescere, lenocinantem libidinis lasciviam viriliter edomare, petulantia carnis incentiva reprimere, terribile divinae districtiois iudicium medullitus formidare; ad memoriam semper revocantes illam apostolicae comminationis sententiam, qua dicitur : «Terribile est incidere in manus Dei viventis Hebr. X).» Illud etiam formidolose recalescentes, quod propheta minaciter intonat, dicens : «Quia in igne zeli Domini devorabitur omnis terra, et in gladio ejus omnis caro (Sophon. I).» Si enim carnales homines divino gladio devorandi sunt, ut quid nunc ipsam carnem damnabiliter

diligunt ? ut quid carnis voluptatibus enerviter cedunt? Ille nimirum est gladius, quem Dominus per S. Moysen intentat peccatoribus, dicens : «Exacuam velut fulgur gladium meum (Deut. XXXII).» Et iterum : «Gladius, inquit, meus manducabit carnes (*Ibid.*);» id est, furor meus deglutiet in carnis delectatione viventes. Sicut enim ii, qui adversus vitiorum monstra confligunt, supernae virtutis auxilio fulciuntur; ita e diverso carnis immunditiae dediti, soli divinae ultionis iudicio reservantur. Unde et Petrus: « Novit, inquit, Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in die iudicii reservare cruciandos : magis autem, qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant (II Petr. II).» Quos etiam alibi increpans, ait: «Existimantes, inquit, dici delicias coinquinationes, et maculae deliciis affluentes, conviviis suis luxuriantes in vobiscum, oculos habentes plenos adulterio, et incessabili delicto (*Ibid.*).»

Nec glorientur, qui in sacro ordine positi sunt, si execrabiliter vivunt : quia quo altius stantes eminent, eo profundius corruentes jacent : et sicut alios deberent nunc in sanctae conversationis vita praecedere, ita postmodum atrociora coguntur supplicia sustinere; quia juxta Petri vocem : «Deus etiam angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari. Et civitates Sodomorum et Gomorrhaeorum in cinerem redigens (Gen. XIX), eversione damnavit, exemplo eorum qui impie acturi sunt (II Petr. II)» Quid est quod beatus apostolus postquam diabolicae damnationis praecipitium retulit, ad Sodomorum quoque, et Gomorrhaeorum se mox convertit excidium; nisi ut patenter ostenderet, quia qui nunc sunt immunditiae vitio traditi, simul etiam cum immundis spiritibus aeterna sunt ultione damnandi? Et quos nunc ardor Sodomiticae libidinis vexat, postmodum etiam cum ipso totius iniquitatis auctore flamma perpetuae combustionis exurat? Cui senientiae etiam Judas

apostolus aptissime concinit, dicens : «Angelos, inquit, qui non observaverunt suum principatum , sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine servavit: sicut Sodoma et Gomorrha, et finitimae civitates simili modo exfornicatae, et abeuntes post carnem alteram, factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes (Jud. I, 6-7)» Patet ergo, quia sicut angeli suum non observantes principatum, tartareae caliginis meruere supplicium; ita qui a sacri ordinis dignitate, in carnalis vitii voraginem corruunt, in perpetuae damnationis barathrum merito devolvuntur.

Et, ut breviter cuncta concludam, quisquis quolibet eorum modo, quos supra distinximus, nefandae turpitudinis se contagione foedaverit, nisi fructuosae paenitentiae fuerit satisfactione purgatus, nunquam habere Dei gratiam poterit, nunquam Christi corpore et sanguine dignus erit, nunquam coelestis patriae limen intrabit, quod apostolus Joannes in Apoclypsi manifeste declarat, qui dum de coelestis regni gloria loqueretur, addidit, dicens : «Non intrabit in illam aliquis coinquinatus, et faciens abominationem (Apoc. XXI). »

CAPUT XXIII.

Exhortatio lapsi in peccato hominis, ut resurgat.

Exsurge, exsurge, quaeso, expergiscere, o homo, qui misere voluptatis sopore deprimeris; revivisce tandem, qui lethali coram inimicis tuis gladio corruisti. Adest apostolus Paulus; audi illum vociferantem, pulsantem, concutientem, clarisque super te vocibus inclamantem: «Exsurge, inquit, qui dormis, et exsurge a mortuis, et exsuscitabit te Christus (Ephes. V). » Qui Christum resuscitatorem audis, cur de tua resurrectione diffidis? Audi ex ore ipsius : « Qui credit,

inquit, in me, etiam si mortuus fuerit, vivet (Joan. XII). » Si vita vivificatrix te quaerit erigere, tu cur ulterius feras in tua morte jacere? Cave, cave ergo, ne te barathrum desperationis absorbeat. Mens tua fiducialiter ex divina pietate praesumat, ne pro magnitudine criminis impenitens obdurescat. Non est enim peccatorum desperare, sed impiorum; nec magnitudo criminum in desperationem adducit animam, sed impietas. Si enim tantum diabolus potuit, ut te in hujus vitii profunda submergeret; quanto magis te virtus Christi poterit ad eum, de quo lapsus es, verticem revocare? «Nunquid qui cecidit, non adjiciet ut resurgat ? (Psal. XL).» Cecidit asinus carnis tuae in luto sub pondere; est stimulus poenitentiae, qui pungat; est manus spiritus, quae viriliter extrahat. Samson ille fortissimus, quia male blandienti mulieri secretum sui cordis aperuit, non solum septem crines, quibus virtus alebatur, amisit, sed etiam praeda factus Allophylis, oculos perdidit: postmodum vero capillis jam renascentibus, Domini Dei sui auxilium humiliter petiit, templum Dagon stravit, ei multo majorem quam prius, hostium multitudinem interemit (Judic. XVI).

Si ergo te impudica caro tua mollia suadendo decepit, si septem dona Sancti Spiritus abstulit, si lumen non frontis sed cordis exstinxit, non concidas animo, noli funditus desperare, ad huc te in vires collige, viriliter excute, fortia tentare praesume, et sic per Dei misericordiam de inimicis tuis poteris triumphare. Et certe Philistaei crines Samson potuerunt quidem radere, sed non evellere, quia et iniqui spiritus licet a te charismata Sancti Spiritus ad tempus excluserint, nequaquam tamen praevalent divinae reconciliationis remedium irrecuperabiliter abnegare. Qualiter, obsecro, de largissima Domini valeas misericordia desperare, qui etiam Pharaonem arguit, quia post peccatum ad poenitentiae remedium non confugit? Audi

certe quid dicat: «Brachia, inquit, Pharaonis regis Aegypti contrivi, et non est deprecatus ut daretur in eo sanitas, et redderetur ei virtus ad comprehendendum gladium (Ezech. XXX).» Quid dicam Achab regem Israel? qui postquam idola fabricatus est, postquam Naboth Jezrahelitem impie trucidavit, tandem sicut ex parte humiliatus est, ita etiam ex parte est misericordiam consecutus. Teste enim Scriptura, postquam terrorem divinae comminationis accepit, scidit vestem, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco et ambulabat demisso capite. Quid itaque post haec? «Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem, dicens : Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus (III Reg. XXI).» Igitur si et illius poenitentia non despicitur, qui nequaquam perseverasse cognoscitur; cur tu de divinae miserationis largitate diffidas, si infatigabiliter perseverare contendas? Statue quoque tibi certamen assiduum adversus carnem, armatus semper assiste contra importunam libidinis rabiem. Si luxuriae flamma in ossibus aestuat, protinus illam memoria perpetui ignis exstinguat; si callidus insidiator lubricam carnis speciem objicit, illico mens ad mortuorum sepulcra oculum dirigat, et quid illic suave tactu, quid delectabile visu reperiatur, solerter attendat.

Consideret itaque quia virus, quod nunc intolerabiliter fetet, quod sanies, quae vermes gignit, et pascit, quod quidquid pulveris, quidquid aridi cineris illic jacere conspicitur, olim laeta caro fuit, quae huiusmodi passionibus in sua viriditate subjacuit. Perpendantur denique nervi rigidi, dentes nudi, ossium, articularumque compago divulsa, omniumque membrorum compositio enormiter dissipata. Sic, sic informis, atque confusae imaginis monstrum extrahat ab humano corde praestigium. Pensa igitur quam periculosae vicissitudinis sit permutatio,

quod per momentaneam delectationem, qua in puncto semen ejicitur, poena, quae sequitur, per millia annorum curricula non finitur [aeternae non finitur: Gehenna est aeterna]. Cogita quam miserum sit, quod per unum membrum, cujus nunc voluptas expletur, totum postmodum corpus simul cum anima atrocissimis flammaram incendiis perpetuo cruciatur [in Gehenna]. His, et hujusmodi impenetrabilibus cogitationum clypeis imminetia mala propelle, praeterita per poenitentiam dele. Carnis superbiam jejunium frangat; mens assiduae orationis dapibus saginata pinguescat. Hoc itaque modo praesul spiritus subjectam carnem disciplinae freno coerceat, et ad supernam Jerusalem quotidie ferventis desiderii gradibus feslinare contendat.

CAPUT XXIV.

Quod ad edomondam libidinem satis prosint castitatis praemia contemplari.

Operae pretium quoque est ut promissa castitati praemia incessanter aspicias, quorum dulcedine provocatus, quidquid versutia callidi insidiatoris opponitur, libero fidei pede transcendas. Si enim attendatur felicitas, ad quam non sine transitu attingitur, leve fuit quod transeundo laboratur, et conductus fossor taedium laboris alleviat, dum mercedem operis, quae debetur, inhianter exspectat. Perpende ergo quod de militibus castitatis per prophetam dicitur : «Hic dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, et elegerint quod volui, et tenuerint foedus meum : dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus (Isa. LVI).» Eunuchi quippe sunt, qui insolentes carnis impetus reprimunt, effectumque a se pravae operationis abscindunt. Plerique autem eorum qui voluptati illecebrae carnalis

inserviunt, memoriam sui nominis post se relinquere per posteritatem sobolis concupiscunt; et hoc toto mentis affectu idcirco desiderant, quia nequaquam se huic mundo mori funditus deputant, si nominis sui titulum per superstites residuae prolis germen extendant.

Sed multo clarius multoque felicius hoc ipsum caelibes munus accipiunt, ad quod proletarii tam fervidae ambitionis aestibus inflammanur, quia apud illum eorum memoria semper vivit, qui per aeternitatis statum nulla temporum lege pertransit. Nomen igitur eunuchis melius a filiis et filiabus divina voce promittitur, quia memoriam nominis quam filiorum posteritas per breve temporis spatium potuisset extendere, isti merentur absque ullo oblivionis obstaculo in perpetuum possidere : «In memoria, enim, aeterna erit justus (Psal. CXI).» Et iterum in Apocalypsi per Joannem dicitur : «Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, et non delebo nomina eorum de libro vitae (Apoc. III).» Ubi iterum dicitur: «Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, qui sequuntur Agnum quocunque ierit (Apoc. XIV)»; et quod canticum cantant, quod nemo possit dicere, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Singulare quippe canticum Agno virgines cantant, quia cum eo in perpetuum prae cunctis fidelibus, etiam de incorruptione carnis exsultant. Quod videlicet alii justi dicere nequeunt, licet in eadem beatitudine positi mereantur audire; quia per charitatem quidem illorum celsitudinem gratanter aspiciunt, ad eorum tamen praemia non assurgunt. Quapropter pensandum est, atque in mente nostra omni studio revolvendum, quantae dignitatis, quantaque sit excellentiae illic fieri summum , ubi summa felicitas est esse vel ultimum : illic privilegii celsa conscendere, ubi beatissimum est patria aequitatis jura servare. Nimirum sicut attestante Veritate, non omnes capiunt verbum hoc in hoc saeculo (Matth. XIX); sic ad illam

egregiae remunerationis gloriam non omnes perveniunt in futuro.

Haec, et alia multa hujusmodi, charissime frater, quisquis es, intra mentis tuae secreta considera, totisque viribus carnem tuam ab omni peste libidinis immunem servare festina, ut, juxta apostolicae doctrinae sententiam, scias vas tuum possidere in sanctificatione, et honore, non in passione desiderii; sicut et gentes, quae ignorant Deum (II Thess. IV). Si adhuc stas, praecipitium cave : quod si lapsus es, ad unicum poenitentiae, qui ubiqae praesto est, manum fiducialiter tende; ut qui non potuisti cum S. Abraham procul a Sodomis degere, liceat vel cum Loth propinquae combustionis excidio jamjam urgente, migrare. Quique navi incolumis subire non valueras portum, sufficiat saltem perlatis fluctus evasisse naufragium : et qui non meruisti ad littoris sinum sine jactura pertingere, libeat arenis exposito, post periculum alacri voce illud beati Jonae celeusma cantare : «Omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt; et ego dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum , verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum (Jon. II).»

CAPUT XXV.

Ubi scriptor probabiliter se excusat.

Si vero in cujuslibet manus libellus iste devenerit, cui conscientia minime suffragante, superius comprehensa forte displiceant, meque proditorem, delatoremque fraterni criminis arguat, noverit me favorem interni Judicis toto intentionis studio quaerere ; pravorum vero odia vel linguas detrahentium non timere. Malo quippe cum Joseph, qui accusavit fratres apud patrem crimine pessimo, in cisternam innocens projici (Gen. XXXVII); quam cum Heli,

qui filiorum mala vidit, et tacuit, divini furoris ultione mulctari (I Reg. II, IV). Cum enim per os prophetae divina vox terribiliter comminetur, dicens : «Si videris fratrem tuum inique agentem, et non corripueris eum, sanguinem ejus de manu tua requiram (Ezech. III);» quis ego sum, qui in sacro ordine videam tam pestilens facinus inolescere, et velut homicida alienae animae, servata censura silentii, divinae distractionis audeam ratiocinium expectare? et illius reatus fieri incipiam debitor, cujus nequaquam auctor exstiteram? Et cum Scriptura dicat: «Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine (Jer. XLVIII);» hortaris me ut gladius linguae meae in taciturnitatis theca repositus, et sibimet pereat, dum offensionis rubiginem contrahit; et aliis non proficiat, dum culpas prave viventium non configit. Gladium quippe a sanguine prohibere, est correctionis verbum a carnalis vitae percussione compescere. De quo gladio rursum dicitur : «Ex ore enim gladius ex utraque parte acutus exibat (Apoc. I).» Qualiter enim proximum meum sicut meipsum diligo, si vulnus quo eum non ambigo crudeliter mori, negligenter fero in ejus corde grassari? videns ergo vulnera mentium, curare negligam sectione verborum ? Non me ita egregius praedicator docet, qui eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit; dicit enim : «Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium : non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis (Act. XX) » Non ita me Joannes instruxit, cui videlicet angelica admonitione praecipitur : «Qui audit, dicat: Veni (Apoc. XXII).» Ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando, alios quo ipse rapitur, trahat; ne clausas fores etiam vocatus, inveniat, si vocanti vacuus appropinquat.

Sane si me ratum ducis corripientem corripere, et ut ita loquar, praesumptoriae argutionis arguere, cur non

Hieronymum corripis qui contra diversas haereticorum sectas tam mordaciter disputat? Cur non Ambrosium laceras , qui in Arianos publice concionatur? Cur non et Augustinum, qui in Manichaeos atque Donatistas tam austerus litigator invehitur? Dicis mihi: Jure illi, quia contra haereticos, contra blasphemos; tu autem non times carpere Christianos.

Ad quod ego sub brevitate respondeo; quia sicut illi nitebantur egressos et jam errantes ad ovile reducere; ita etiam nostrae intentionis est, eos, qui qualitercunque intersunt, ne exeant, prohibere. Illi dicebant: « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si essent ex nobis, mansissent utique nobiscum (I Joan. II).» Et nos dicimus : Nobiscum quidem sunt, sed male. Studeamus ergo si possibile est, ut deinceps bene sint nobiscum. Illud etiam addimus, quia si pessima est blasphemia, nescio, in quo sit melior sodomia. Illa enim facit hominem errare; ista perire. Illa a Deo animam dividit; diabolo ista conjungit. Illa de paradiso ejicit; ista in tartarum mergit. Illa mentis oculos caecat; in ruinae voraginem ista praecipitat. Et si subtiliter indagare satagimus, quod utriusque criminis in statera divini examinis gravius penset, inquisita Sacra Scriptura plenius docet. Ubi siquidem filii Israel, qui Deum blasphemantes, idola coluerunt, in captivitatem ducti; Sodomitae autem coelestis ignis, et sulphuris reperiuntur incendio devorati (Gen. XIX). Neque ego sanctos doctores idcirco proposui, ut fumigantem torrem clarius praesumam conferre sideribus, quippe qui vix indigno ore tam excellentissimos viros sine offensione commemoro, sed hoc dico, quia quod ipsi vitia corrigendo, et confundendo fecerunt, hoc etiam juniores, ut facerent docuerunt: et si eorum tempore cum tanta impudentiae libertate haec pestis fuisset oborta, non dubie credimus, quod prolixa hodie viderentur contra eam volumina codicum exarata.

Nemo me ergo dijudicet, dum adversus mortale vitium disputo: ubi non opprobrium, sed propectum potius fraternae salutis inquiri, ne dum corripientem persequitur, delinquenti favere videatur. Sed ut S. Moysi verbis utar: «Si quis est Domini, jungatur mecum (Exod. XXXII).» Videlicet ut qui se Dei militem recognoscit, ad confundendum hoc vitium se ferventer accingat, hoc totis viribus expugnare non desinat: et ubicunque fuerit repertum, acutissimis verborum spiculis confodere, et trucidare contendat; quatenus dum captivator densa cuneorum acie circumfunditur, captivus ab his, quibus servierat, vinculis absolvatur; et dum adversus tyrannum consona vox omnium unanimiter clamat, is qui trahebatur, praeda fieri furentis monstri protinus erubescat: quique ad mortem se rapi plurimorum testimonio perhibente non dubitat, in semetipsum reversus, ad vitam redire quantocius non pigrescat.

CAPUT XXVI.

Ubi ad Dominum Papam sermo reflectitur.

Nunc autem ad te, Papa beatissime, in ipsius Opusculi calce recurrimus, ad te styli hujus articulum revocamus, ut cui incipientis origo dirigitur, in ipsum merito peracti operis clausula terminetur. Petimus igitur, et humiliter imploramus, ut clementia vestra, si dicere fas est, sacrorum canonum decreta, quae tamen vobis notissima sunt, solerter inspiciat; spirituales et prudentes viros ad consultum hujus necessariae indagacionis asciscat; nobisque super his capitulis ita respondeat, ut omne de nostro pectore dubietatis scrupulum tollat. Neque hoc dicere idcirco praesumimus, ut ad hoc, Deo auctore, sufficere solam profunditatis vestrae peritiam ignoremus; sed dum sacrae auctoritatis testimonium adhibetur, dum plurimorum

consensu et iudicio res geritur, perversorum hominum querela, quae fortassis e diverso mutire non erubesceret, sopiatur. Non enim facile patet querelae quod multorum iudicio constituitur. Saepe autem sententia, quae ab uno considerata iuris aequitate depromitur, ab aliis praeeudicium deputatur.

Quatuor igitur huius vitii diversitatibus, quas superius enumeravimus, diligenter inspectis, dignetur me Beatitudo Vestra decretali pagina clementer instruere, cui earum obnoxius debeat ab ecclesiastico ordine irretractabiliter abjici; cui vero praelato discretionis intuitu, possit hoc officium misericorditer indulgeri; quo supradictorum modo, et cum quantis lapsu liceat cuique in ecclesiastica dignitate persistere; qualiter autem, et cum quantis, si foedatus fuerit, compellendus est in dicta necessitate cessare. Ut ex eo, quod uni dirigitur; multi eadem laborantes ignorantia, doceantur, quatenus ambiguitatis nostrae caliginem, auctoritatis Vestrae lucerna dimoveat; atque, ut ita loquar, Apostoliese Sedis ferrum ex agro nutantis conscientiae totius erroris radicibus germen evellat.

Annuat omnipotens Deus, Reverendissime Pater, ut tempore apostolatus Vestri, et huius vitii monstrum prorsus intereat, et jacentis Ecclesiae status undique ad sui vigoris iura resurgat.

SCHOLIA.

Legis praeceptum est, ut cum quis lepra perfunditur, sacerdotibus ostendatur: tunc autem non sacerdotibus, sed leproso potius ostenditur, cum immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur.

De his, quae hoc in Opusculo scribit S. Damianus, ejus

mens potius spectanda quam verba. Neque enim ille significat confessionem ejus, qui sacerdoti complici confitetur, ob potestatis defectum, invalidam esse, si ille justum titulum atque jurisdictionem obtinet; sed vult dicere hujusmodi confessionem fructu carere, ac quodammodo delusoriam esse; quoniam verecundiae ruborem poenitens nec sentit, nec ad compunctionem excitari potest ab eo, cujus pravi exempli species ante oculos versatur. Quae omnia auctor expendit, ut in textu videre est; ubi etiam ait: Confessionem factam complici sacerdoti, non ea severitate fieri ob facilem poenitentiam condonantis. Quare omnes Summistae licet confessionem illam validam esse teneant, non tamen laudant, si fiat; nisi in casu extremae necessitatis. Sic censent Glos. in cap. *Omnes*, 30, quaest. 1; Sylvester verbo *Confessio*, 1, n. 17, atque alii.

N.B.: Codex iuris canonici.

Can. 977: Absolutio complicitis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis.

Can. 1378 #1. Sacerdos qui contra praescriptum can. 977 agit, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit.

Sit nomen Domini benedictum.